NOVITAS
UTRIMQUE DE NOVO
REPRESSA
PER DECRETUM DUPLEX
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
ALEXANDRI PP. VIII.
Quo Propositiones XXXIII. justissimè damnantur
CUM NOTIS
Ad Majoris Collegii Theol. Lovanii Alumnos;

PER



MARTINUM STEYAERT
S. T. D. & Prof. Ord. ac Regentem, ejusdem Collegii Præsidem.



LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE. 1691.
CUM APPROBATIONE.

S. THEOLOGIÆ

BACCALAVREIS

CÆTERISQUE STUDIOSIS

IN

MAJORI COLLEGIO

LOVANII,

ALUMNIS CHARISSIMIS,

MARTINUS STEYAERT

FELICITATEM.



VObis hæc inscribo, Alumni charissimi: quia Vobis sunt promissa, Vobis avidè expectata; Vobis denique futura scio gratissima. Vobis nuper mihique exprobratum erat, meditari nos intra parietes domesticos Ecclesiam & Theologiam peculiarem. Specimen hìc datum eo, sitne quod tradidi Vobis hactenùs, singulare; an verò Ecclesiæ Romanæ, cæterarum Matri & Magistræ, ipsique adeò Universali, conforme. Ideò in primis loca Vobis plura ex alibi à me scriptis, Aphorismis præsertim, cito: quamquàm etiam rationes quæ citatis insunt, plerùmque satis refutant damnatos Articulos. Scio in quæ odia me conjicio. Sed tanti mihi est servare Vos, ut confido me facturum, ab iis doctrinis quæ Ecclesiæ displicuerunt. Vobis igitur potissimùm hæc scripsi: Vobis si profuerint, sufficit mihi. Tempus meum omne scio me debere Vobis: quod igitur aliis pro Vobis

curis

curis ſubtraxi, hìc ad Vos refero. Satagamus ſimul, ut cùm venerit qui & Vos & me judicaturus eſt, inveniat me Vobis, & Vos mihi (ut reipſa facitis) impendiſſe quod debemus. Valete. Lovanii in Collegio noſtro Majori die Cathedræ S. Petri Romæ ſacrâ, A. 1691.

Publicari poterit.

NIC. DU BOIS *S. Th. Prim. Prof. Inſignis Eccleſiæ Coll. D. P. Decanus, Lib. Cenſor.*



DECRETUM

Feria v. Die 24. Augusti 1690.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentiâ Papa VIII., ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAntissimus D. N ALEXANDER Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu propositiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere; Et cùm sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & dictis Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulò commisit, qui pluries & maturè [illegible] infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cùm natura rationali. Formalis verò in conformitate actus cùm regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in [illegible]. HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

II. [illegible], seu [illegible] Theologicum verò, & mortale est [illegible] legis [illegible] quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel [illegible] est grave peccatum, sed non est [illegible] Dei, neque peccatum [illegible] amicitiam Dei, [illegible]

Quæ

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plenè, & maturè consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expressis; Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, ità ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea disputaverit publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, ac Status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim, seu Propositionem ad praxim deducant.

Loco † Sigilli.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Die 24. Augusti 1690 supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis [illegible], & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. D. Nostri Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

JUXTA EXEMPLAR IMPRESSUM

ROMÆ, Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ. MDCXC



DECRETUM

Feriâ V. Die VII. Decembris 1690.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. D. ALEXANDRO Divinâ Providentiâ Papa VIII. ac Eminentissimis, & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. ALEXANDER Divinâ Providentiâ Papa VIII. prædictus: pro Pastorali cura Ovium a Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit; qui tandem negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ videlicet.

I. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

II. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.

III. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

IV. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

VI. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere: A gratia sufficienti libera nos Domine.

VII. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei,

Charitas

Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

VIII. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

X. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut Cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

XI. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

XIII. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

XIV. Timor gehennæ non est supernaturalis.

XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

XVII. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

XVIII. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

XIX. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

XX. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

XXI. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

XXII. Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

XXIII. Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

XXIV. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

XXV. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

XXVI. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

XXVII. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, prætermissis illis, *Ego te baptizo*.

XXVIII. Valet Baptismus collatus à Ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, *Non intendo quod facit Ecclesia*.

XXIX. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra

Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

XXXI. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respectivè, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Christi Fidelibus, cujuscumque Conditionis, Dignitatis, & Status, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas, approbare.

Locus † Sigilli

Alexander Speronus S. Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi M. DCXC. Indict. 13. die 20. Decemb. Pontificatus autem SS. D. N. D. ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VIII. Anno secundo, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Palatii S. Officii in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franc. Perinum SS. D. N. PP. & SS. Inquisitionis Cursorem.

Jo. Baptista de Comitibus Mag. Curs.

NOTÆ

In XXXIII. Propositiones, duobus his Decretis justissimè proscriptas.

DE PECCATO PHILOSOPHICO.

PROPOSITIO UNICA.

Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale, est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Est secunda in priori Decreto.

NOTA.

I. Hanc Doctrinam jam pridem detuleramus Sedi Apostolicæ in Deputatione Lovaniensi ad Innocentium PP. XI. dum illi has duas Propositiones conjunctim censurandas obtulimus: *Deus ignorari potest invincibiliter:* Et, *Qui sic ignorat, non peccat vero & formali peccato.* Sivè autem Censores eas non ut conjunctas, sed singulas seorsùm consideràrant, quâ ultimâ consideratione non tam perspicuam habent malitiam; sivè plenitudo temporis nondum advenerat: manserunt tunc inter eas, quarum Censuram nondum visum fuerat publicare. Donec tandem aliâ occasione eadem Doctrina, sed adhuc fœdiùs concepta, apud Ecclesiam Romanam delata, & nuper solemniter proscripta est. Deo gratias.

II. Fundabatur in eo, quòd non videatur malitia aliqua contrahi posse, nisi ab eo qui illam novit, imò & animum ad eandem reflectit. Cùm igitur qui Deum non novit, vel de eo peccans non cogitat, non noverit malitiam in actu suo infinitam (nempè quæ talis est ob offensam Personæ infinitæ) vel saltem ad eam non reflectat: sequebatur, malitiam infinitam à tali non contrahi; adeòque non eam quæ peccato mortali Theologicè considerato convenit, eò quòd Deo seu Legi æternæ repugnet; sed solùm Philosophicam aliquam, quatenùs rectæ rationi talis actus adversatur. Favère videbatur S. Thomas, duplicem considerationem in peccato, Theologicam & Philosophicam, disertè distinguens.

III. Fallit autem hoc fundamentum, quia ut quis malitiam quampiam, quæ in actu commisso est, contrahat, non est necessè, eum nosse istam malitiam, multòque minùs ad eam animum reflectere; sed sufficit nosse potuisse ac debuisse, ut & Theologia & sensus communis hactenùs habuit. V. g. ut quis Læsæ Majestatis sit reus, non requiritur ut noverit ipse aut animum reflectat, hunc esse verum Regem,

contra

contra quem peccat enormiter; ſed ſatis eſt, illum hoc ſcire debuiſſe, adeòque potuiſſe. Alioquin à formali rebellione excuſaretur, qui cæco impetu, & contra omnem rationem, ſibi perſuaderet Regem non eſſe legitimum, & ità Tyranni partes ſequeretur. Quod igitur de Rege terreno facilè omnes capiunt, nec quiſquam in dubium vocare auſit, cur de cœleſti audemus diſputare? An non, quòd aliàs in ſimili monitum eſt, quia magìs in ſpiritualibus quàm temporalibus & caducis cœcutimus? Cæterùm ſicut negari non poteſt, quod de ignorantia ejuſmodi vincibili Regis, adeòque & Dei, diximus: ità prorsùs admittendum eſt, quemadmodùm contra Regem non peccaret, qui faciens quidpiam, invincibiliter ignoraret eſſe Regem; ſic quoquè peccatum non fore contra Deum, ſi Deus ignoraretur invincibiliter. Quòd enim ſic ignoratur, perinde eſt ac ſi non eſſet, ut omnes admittent.

IV. Atque hinc revera ſapiunt, qui modò ne peccatum merè Philoſophicum admittant, nobiſcum negant, ignorari poſſe Deum invincibiliter dum ſaltem peccatur: imò ultrà procedunt, & (neſcio an cuiquam fidem de eo facient) credunt, ne fieri quidem poſſe, ut quis dum peccat, Deum ignoret aut de illo actu non cogitet. Conſequenter nullæ ampliùs apud illos gentes ſunt in America, quibus Deus adeò eſt ignotus, ut ne nomen quidem quo illum appellent, habeant: quo argumento antè contendebatur, poſſe Deum invincibiliter ignorari. Verùm adhuc rectiùs & conſequentiùs facerent, ſi quod dicunt, non ad caſum quo quis peccat, reſtringerent. Quis enim ipſis credet, hominem qui hucusque dum nihil mali egit, adeò ad ſolem juſtitiæ cæcutiit ut Deum videre non potuerit, nec quidem hoc momento adhuc videre eum poſſet ſi malè non ageret; ſubitò nunc ita illuminari dum peccat, ut videre jam queat quod aliàs nequiviſſet. Quaſi nimirum ad eſum fructûs vetiti aperiantur oculi ejus: & non potiùs Deus juxta Aug. *infatigabili lege ſpargat pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*, ita ut qui aliàs etiam Deum ejuſque legem viſuri eſſent, per peccati tenebras *obſcurentur ne videant*. Quaſi non ſint etiam *mundi corde*, de quibus ſpecialiter Chriſtus ait, quòd *ipſi Deum videbunt*; non utique in alio ſeculo tantùm, ſed etiam in præſenti, quatenùs hìc videri poteſt: ſed è contrario dictum ſit, *Immundi corde*, quod nempe peccatis inquinant, *ipſi Deum videbunt*. Quidni verò tenent nobiſcum ſine exceptione, Deum à nullo rationis compote invincibiliter ignorari poſſe? Ne alioqui dum ita, vel etiam tantiſper, ignoratur; deſignari interim poſſint peccata quævis horrendiſſima ſine culpa Theologica. Sanè hanc veritatem ſine exceptione probant argumenta, quæ nuper aliquis eorum facundè ſatis deduxit in ſua *Apologia*. Sed de his ſatis: quia fortè fruſtrà eos adhortor, qui jam nullo etiam monente, ita ſentiant.

V. Unum addendum eſt more noſtro, quo ex dogmatum damnatione ſequelas aliquas elicere hucuſque conſuevimus. Damnatum eſt hoc dogma, peccatum Philoſophicum non eſſe offenſam Dei, adeoque malitiæ infinitæ, & dignum pœnâ æternâ, in eo qui Deum ignorat, vel de illo non cogitat. Rectè illud ſequebatur ex Regula ſuprà allegata quòd non contrahat malitiam infinitam qui eam non novit. Igitur ab oppoſito Conſequentis ad oppoſitum Antecedentis, corruit Regula iſta: falſa eſt, Doctrinam damnatam infert & fulcit. Atqui tamen ultrò ſequitur ex iſta generaliori, Non contrahi malitiam niſi quam quis novit, juxta illud malè intellectum,

Nihil

Nihil volitum nisi cognitum. Huic ultimæ Regulæ innititur tota illa doctrina jam toties nobis impugnata, & donec deficiat, quoad vixero, impugnanda, de *Peccatis Ignorantiæ.* Ultrò sequitur quod volo: utinam tamen aliquando ab omnibus admittatur.

VI. Doctrinam ipsam hic damnatam directè & ex professo non refutamus: quia supervacaneum id esse videtur. Non solùm quòd eam Roma suâ Censurâ prostraverit, sed etiam quod Orbis horrore unanimi eandem execretur. Accedit illius refutatio facta per alios plusquàm satis. Ipsi quoque aliàs aliqua adversùs illam diximus: ut, quòd igitur qui à se impetraverit ut dicat in corde suo, *Non est Deus;* Atheus, inquam, formalis & positivus, quales dari *insipientes*, Spiritus scrutans corda & renes, nos docet: hic in posterum nullum ampliùs peccatum novum committet Theologicum, novamve malitiam mortalem contrahet: quod non tantùm sensus humanus credere, imò audire, refugit; sed & idem Spiritus S. disertè refellit, dum post istud, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, de talibus utique adjungit: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Psal. 13.

DE CÆTERIS PECCATIS IGNORANTIÆ.

PROPOSITIO I. & II.

T*Ametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ; hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.* Est secunda in Decreto 2.

In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit illa libertas; quâ voluntarium ac liberum fuit in causa, peccato originali & voluntate Adami peccantis. Est prima in eodem Decreto.

NOTA II.

I. Primam Propositionem asseruerunt post Janssenium pridem aliqui, ejusdem audaciâ, ut videtur, delectati: sed paulatim omnes ab illa recesserunt. Fundamentum ipsorum fuisse apparet, quod habet Janssenius. Nempè, in Concilio Diospolitano damnari hoc dogma, *Oblivionem & ignorantiam non subjacêre peccato, quia non secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem eveniant.* Undè infert hic Theologus; igitur per Concilium declarari, oblivionem & ignorantiam subjacêre peccato, tametsi non secundùm voluntatem, sed necessitatem eveniant, adeòque etsi hæc sit invincibilis: quod, inquit, ut minimum intelligi debet de Juris naturæ ignorantiâ. Addit, Pelagium admisisse, Augustino teste, peccata negligentiæ in quærendâ & discendâ veritate: Ergò, ait, quòd in Diospolitano idem damnare compulsus est, accipiendum est de ignorantia invincibili. Dum verò objicitur, voluntarium non fore tale peccatum; non obscurè se tuetur per Propositionem sequentem, de voluntarietate & libertate, quam trahit peccatum ejusmodi ex peccato Adami, nempè quia pœna istius peccati est.

II. Verùm jam pridem in Oratione quâdam quodlibeticâ hanc Doctrinam cum suo fundamento refutavimus: ostendendo, in Concilio Diospolitano demùm con-

demnari errorem Cœlestii, quem postea Abaïlardus resuscitavit, videlicèt carère culpâ quidquid fit ex oblivione vel ignorantiâ; ideò scilicèt, quia non videbant Hæretici illi, quo pacto satis voluntarium, & à necessitate liberum foret, quod ità committitur. Probavi id ex Dialogis S Hieronymi contra Pelagianos, ubi Collocutor, qui partes horum sustinet, hunc errorem manifestè tuetur; ubi & qui partes Catholicorum, eundem non minùs manifestè impugnat, ut cuivis legenti perspicuum fiet. Quod ad Pelagium attinet, concessi non negasse eum peccatum quodlibet ignorantiæ, modò nè tantùm orare cogeretur Deum pro gratiâ illuminationis; verùm non idem sensisse ejus discipulum Cælestium, cujus erat ille articulus à PP. Diospolitanis Pelagio objectus & damnatus Hic quippè, Magistro suo, ut fieri amat, vel audacior, vel candidè flagitiosior, negabat omnia prorsùs peccata ignorantiæ. Adeòque cessat omne quod ea ex parte objici potuit: nec alibi ferè Jansenius luculentiùs ostendit, quàm foret infelix in intelligenda & exponenda antiquitate.

III. Ità igitur convulso fundamento, facilè ipsa hæc Doctrina refellitur, & breviter rejecta est à nobis in *Aphorismis* p. 1. disp. 2. Aphorismo IV. qui est talis. „Nemo peccat, qui ignorat aut non advertit *invincibiliter*, se agere malè: estò „sciat & advertat, se ponere hunc actum, qui aliàs est malus. Alioquì peccatum, „non malum voluntarium, sed fortuitum foret. „ Estque similis sententia celebris Augustini: „Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd ne„gligis quærere quod ignoras. „ Similia item habet Bernardus Epist. 77. contra Abaïlardum agens de peccatis ignorantiæ. Neque unquàm cecidissent homines in Propositionem ex his duabus damnatis secundam, nisi ut tuerentur istam Primam. Quam interim dum amplectebantur, necesse erat alia quoquè, quæ nè ipsi quidem tenebant, devorare: ut quòd etiam ignorantia juris positivi in hoc statu nunquàm excusaret, cùm & illa sequela quædam sit primi & originalis peccati, utpotè sine quo nulla prorsùs agendorum ignorantia fuisset: quòd item & motus indeliberati concupiscentiæ, saltem in non renatis, essent vera & nova peccata actualia. Et his plura: propter quæ, ut diximus, paulatim recessum est ab ista Doctrina, haud dubiè erroneâ; & tametsi intelligeretur cum ea restrictione, quam nonnulli addunt, ut nimirùm invincibilis dicatur ignorantia, quæ naturali studio, absque oratione & aliis remediis divinis, vinci non potest; tamen ut minùs malè sonante & scandalosâ. Quid enim pejus sonare potest, quàm peccari, ubi peccandi occasio vinci non potest?

IV. Sed hìc occurrunt aliqui, & contendunt, non satis recessum à tali doctrina, dum itum est ad hanc affinem, *Non dari ignorantiam juris naturæ invincibilem*: imò hanc priori in praxi æquivalentem faciunt. Quo in argumento ità sibi complacuit nuper nonnemo Theologus, ut non semel hoc suis Thesibus inseruerit. Ipso certè, ejusque eruditione & charitate indignum. Quid ad rem, quòd in praxi duo quæpiam æquivalent, si alterum eorum non ob praxim, sed turpitudinem quæ in speculatione est, damnari meruerit? Turpe erat, dici aliquid peccato obnoxium, quod vinci non potest. Hoc damnabile erat, & jam damnatum est. Quid hoc ad doctrinam, quæ nihil simile habet? Vin' autem, Vir erudite, digito etiam palpare quod dico? In Praxi hæc eadem forent: In primis juris naturalis principiis non

 dari

dari ignorantiam invincibilem, imò ullam, ut S. Thomas apertè docet: &, Dari eam quidem, sed non excusare: Praxis utriusque in hoc resolvitur, Peccare eum qui offendit in prima juris naturalis principia. I nunc, & ideò contende, non minùs primum, quàm secundum esse erroneum. Primum est S. Thomæ, ut dixi, & nescio an non omnium: Secundum & nullius est, nec ullius sensati esse potest. Si æquivalentia sunt illa quæ dicis, quarè non ut damnata est hæc secunda Propositio; ità & damnata est alia, ut vis, illi æquivalens, oblata simul cum illa à P. *Dufsio* oblata etiam à nobis ipsis in Deputatione Anni 1677.

V. Cæterùm difficultatem aliquam movere potest pro damnata Propositione ex his duabus secunda, quòd Augustinus quandoque eò recurrat, ut Peccata Ignorantiæ v. g. jam dicat esse pœnas peccati primi & originalis. Verùm non ille omnem eorum libertatem petit ex primo peccato; sed explicat tantùm, quî peccare homo possit per ignorantiam, licet illa haud dubiè non relinquat eam libertatem, quali peccatum ipsum Adami perpetratum fuit. Hujus ergò libertatis absentiam, quæ certè grave jugum est super filios Adam, refundit in hoc sæpiùs, quòd *Pœna peccati* sit; quæ minimè convenisset statui primæ felicitatis, at nunc convenit præsenti miseriæ; ut proinde non mirum sit, eâdem non obstante modò peccari.

DE PROBABILITATE.

PROPOSITIO UNICA.

NOn licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. Est Prop. 3. Decret 2.

NOTA III.

I. Hanc Propositionem jam pridem refutavi epistolâ ad D. Jacobum *Beudart* Canonicum Theologum Insulensem; quam ipse suis Opusculis in materia de *probabilitate* inserere dignatus est, quibusdam non satis id ferentibus. Nec ipse ille Theologus insignis diffidebat à mea sententia; vocans probabilitatem quam sequi liceat, *probabilitatem non impeditam.* Eandem posteà sententiam expressi in *Aphorismis*, p. 1. Disp. 3. Aph. 3. & 14. " Sensui, inquam, communi satis conforme ,, videtur, eousque nonnunquam probabilitatem ascendere, ut cùm certitudo ,, quædam moralis dici possit, non opus sit sectari oppositum quod est tutius, estò ,, aliquid etiam probabilitatis habere videatur. Sic v. g. non omni probabilitate ,, fortassis caret sententia illa quæ ait, census merè personales, vel mixtos, esse con- ,, tra jus naturæ: quia tamen contraria, bonorum praxi passim & sine scrupulo, ,, comprobatur, & ita ad probabilitatem quandam pervênit, quæ contrariam quo- ,, dammodo offuscat, & consideratione indignam efficit; ideò nemo hodie existi- ,, mat, sibi partem tutiorem hìc in re amplectendam. Idem est de variis senten- ,, tiis aliis, contra quas olim vel hodiedum quispiam, ratiunculam aliquam non

,, om-

„ omninò contemnendam objicere invenitur: quas tamen ob moralem quandam „ certitudinem suam, nemo non sequitur; ne alioqui nihil ferè sit quod sequi non „ liceat, cùm vix sit aliquid, quod vel non habeat, vel olim non habuerit, aliquem „ contradictorem. Ratio autem in omnibus illis est: quòd licet periculum pec- „ candi fugere oporteat; minimum tamen periculum (quale in talibus est) pro ni- „ hilo reputetur; præsertim ubi sine notabili incommodo aliter fieri non potest, & „ aliunde constat, ut dictum est, periculis talibus exilibus totam scatere vitam hu- „ manam." Hæc ibi: quæ quidem pro hac difficultate visa sunt tantummodo repetenda.

II. Ad Authorem quod attinet, non mihi tanti est quæstio illa, ut anxiè disquirere libeat, an rectè hæc propositio adscribatur Sinnichio nostro lib. 1. cap. 95. §. 357. prout illi adscribitur in Scripto quod Romanis Censoribus oblatum est per *P. Duffium*. Nos ipsi in deputatione A. 1677. detulimus plures sententias, quæ extabant in libris Lovaniensium, ut de *Communione Sacrilega*, &c. Si voluit Sinnichius quod propositio sonat, nempe peccaturum quicumque opinionem etiam probabilissimam secutus fuerit; jam eum refutavimus: si verò, quod fortè quisquam colliget ex verbis ejus, voluerit demùm peccati periculum remanere, quamdiu opinio non est nisi probabilis (potest enim esse falsa) dicere mecum poterat, periculum tale nonnunquam levius esse posse, quàm ut tam rigidè vitari debeat. Et reverà licere aliquando sequi opinionem dumtaxat probabilem, ipse alibi tam apertè fassus est, ut etiam passim probabilismo addictiores id objicere soleant, ex casu quo Pontifex dispensando secutus erat sententiam probabilem. Sed, ut dixi, res hæc non est tanti.

DE MORTE CHRISTI PRO OMNIBUS.

PROPOSITIO UNICA.

D*Edit semetipsum* (Christus) *pro nobis oblationem Deo; non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.* Est Prop. 4.

NOTA IV.

I. Fusè illam refutavimus Notis in quintam Jansenii Propositionem, ac Refutatione eorum quæ iisdem Notis à Scriptore quodam ignoto & petulantissimo objecta sunt. Ostendimus singulariter Christum mortuum pro Fidelibus, ob gratiam quam ex ejus morte in justificatione sua supponuntur adepti, & quâ ut perseverare possent, sufficienter (Thomisticè) instructi sunt. Hinc Concilium Valentinum, quin & Ecclesia ejus tempore, sic loquebatur, Christum mortuum esse *pro omnibus fidelibus*: ipseque adeo Apostolus Christum *salvatorem omnium* vocat, at *maximè fidelium*. Theologus quidam jam defunctus in Antiquitate versatior, quàm in controversiis istis limatior & cautior, illud, *Et solis*, addere solebat: *Solus* ipse ea in parte, quòd saltem ego sciam. Cæterùm dubium non est, intendisse Ecclesiam Rom. per hanc damnationem, declarare, Christum mortuum esse pro omnibus omninò. Sed de hoc satis ad dictam Prop. V. Jansenii.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

PROPOSITIO I. & II.

P*agani, Judæi, Hæretici, aliique bujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum: adeoque binc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficiente.* Est 5.

Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est: sic ut proinde meritò possimus petere, A gratia sufficiente libera nos Domine. Est 6.

NOTA V.

I. Prima quoque (sequens ex præced.) erat speculatio Viri istius antiquarii: cui adeò nemo in hac Schola nostra assentiebatur, ut omnes concederent, & concedant etiamnùm, gratias actuales plurimas infidelibus Deum impertiri, quibus adjuti plurima non solùm bona, sed & undequaque bene, etsi non meritoriè, faciant; præsertim dum jam ad fidem disponuntur. Quin & dubium non est, eosdem quoque sæpiùs gratiam (Thomisticè) sufficientem habere, sed negligere, quâ ad conversionem venire possent, sed nolunt; juxta mox dicenda de gratia sufficiente. Videtur Author respexisse ad loca quædam Veterum, ubi dicuntur infideles influxum gratiarum à Christo non recipere, talem uti fideles ab ipso ut Capite suo recipiunt. Hoc autem ille ad omnem gratiæ influxum extendit.

II. Secunda citatur ex Thesi quadam A. 1649. defensa sub *Sinnichio:* nec admodum mirarer si petulantia juvenilis discipulorum in turbis istorum temporum simile quid ausa foret. Indies importunitate illorum obruimur. Quæ aliunde didicerunt, sub auspiciis nostris tueri volunt. Si resistimus, si doctrinæ modestiori Scholæ nostræ insistimus; audent quoque scriptis famosis in Magistros grassari. Notum est ad quid alludam, & quo pacto Roma ulta sit tenebrionum nequitiam, librumque ipsum, quem tantopere adorabant.

III. Porrò ad gratiam sufficientem quod attinet, nunquam res illius in Schola nostra explosa fuit, sed disertè recepta: ut ad Propp. Janssenii probavi ex Censura Lovaniensi ad Assertionem VIII. Nomen non tam citò receptum fuit, ob novitatem & quorundam abusum. Utrumque jam recipitur passim, ex quo præcipuè Declarationi nuperæ famosæ ad SS. D. N. Alexandrum VIII. super materia Gratiæ plures subscripserunt. Tantùm velim ut Gratia ista paullò frequentiùs sonet in eadem Schola. Admittunt eam aliqui; neq; unquam id negavi, prout (quæ sua est Charitas) super nescio cujus relatione privatâ publicè exprobrare dignati sunt: sed tamen discipulos illorum, non item ut nostros, videmus ejusdem gratiæ ope passim difficultates enodare. Unde istud silentium? unde quidam pudor? sed speramus nunc saltem plus aliquid fortitudinis.

IV. Gratiam Molinisticè sufficientem simul rejicimus: nempe quæ eadem per omnia, animis similiter constitutis illapsa, hunc convertit, istum verò non convertit;

tit; imò minor subinde convertit, & non major. De illa signanter locuti sunt nostrorum quidem, dum Gratiam sufficientem impugnarunt: at nunc Thomisticè sufficientem recipiamus strenuè, & professionem ejus etiam libenter præferamus. Dicamus simul, ut jam alibi dixi sæpiùs; tantùm abesse ut noxia illa sit, & à qua liberari desiderandum: ut valde etiam utilis sit, estò effectum ad quem sufficiens est, non assequatur. Utilis est, quia effectum saltem dat aliquem, ut Majores nostri dicto loco *Censuræ* suæ annotârunt: utilis est, quia sine ea homo magis peccaret; utilis est, quia per eam homo aliquousque saltem ad bonum promovetur, ut per aliam gratiam faciliùs moveatur ad plenum effectum: denique si per contumaciam nostram inutilis, seu sine effectu debito, efficitur; utilis tamen est in seipsa, multò utique magis quàm lex vetus, quæ non suo sed Judæorum vitio, majoris illis damnationis causa erat. Ex quo elucet istius propositionis excessus, volentis orari, ut à Gratia tali liberemur. Non hoc orandum: quin potiùs pro concessâ, etsi à nobis vitio nostro neglectâ & in vacuum receptâ, agendæ gratiæ, cum pœnitentia de negligenter habito ejusmodi Dei dono. Supplicandum verò enixiùs, ut potentiori auxilio infirmitati nostræ subveniatur, quo nempe insuperabiliter & indeclinabiliter agatur voluntas nostra, deturque illi non solùm posse quod parùm profuit, sed & velle & perficere pro bona voluntate.

DE DILECTIONE DEI.

PROPOSITIO I. & II.

B*onitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè.* HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS: Est prima in priori Decreto.

Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. Est 7. Decreti posterioris.

NOTA VI.

I. En dogmata bene diversa: adeò in extremitates noxias utrimque itum est à Theologis. Prima Propositio pridem ab Alex. VII. & iterum ab Innocentio XI. damnata, & alibi à nobis explicata & refutata, non tam refutationem novam, quàm admirationem meretur, quomodo esse potuerit, qui eam adhuc nuper instauraret. Stupenda hæc audacia ab Alexandro VIII. Censuram tantò acriorem elicuit: undè quod anteà mitiùs, nunc durissimè, videlicet ut Hæresis damnari meruit. In gratiam Tironum, qui sæpiùs interrogarunt, quid foret *vita* ista *moralis*, de qua in parte Propositionis, censuræ obnoxiâ: notandum breviter, vitam naturalem incipere dum anima infunditur, desinere dum eadem rursùs separatur: moralem verò dum ratione uti incipimus, & finiri dum definit idem usus rationis. Sensus ergò damnati dogmatis est, finem ultimum seu Deum, nullo tempore usûs rationis à nobis esse diligendum.

II. Altera Propositio vix differt à Bajana . . . , quam proindè vide cum *Notis* nostris Tantùm aliquantulùm hæc est inconcinnior. Bajana saltem dicebat, omnem *amorem* creaturæ rationalis esse, vel charitatem, vel cupiditatem, &c. Hæc verò idem etiam dicit de omni humana *actione*. Ut iterùm videas incuriam, imprudentiamque juvenilem, talia Præsidibus suis obtrudentem: quippè ex Thesi Anni 1661. defensâ, hæc Propositio excerpta dicitur. Nec frivola putetur ejusmodi excusatio Præsidum: nam eâdem ratione se ille excusare dicitur, qui defensioni ipsius primæ ex his duabus Propositionibus Mussi-ponti præsêdit. Quomodò verò damnatio hujus Propositionis, cum obligatione referendi omnia opera in Deum, consistat; disertiùs discutimus in *Aphorismis* p. 2. disp. 31. Aph. 2. & 3. ubi post memoratam hanc obligationem ità subditur. ,, Opus interim quòd sic non refertur, ,, non ideò peccatum vocatur; sed sæpè est moraliter bonum, ut alibi suo loco ostensum est: & nisi hoc admisissent Deputati jam dicti (Romæ Anno 1677) nuntiabatur ipsis, damnandam fuisse hanc Scholæ suæ Sententiam. Peccat igitur qui ,, actum suum non refert: sed cùm actus referri potuerit, signum est non esse ,, malum. Undè si actum ipsum, *malùm* fortassè, vel *peccatum*, vocant quandoquè ,, Veteres; non tam ipsum actum tunc considerant, quàm defectum relationis illi ,, conjunctum: quod nec etiam celârunt, ubi ad distinctiùs loquendum premebantur. Sic Augustinus, qui opera Infidelium ad Deum non relata, accusaverat; ,, dum pressus est à Juliano, An igitur si Infidelis nudum operit, opus illud *peccatum* dici debeat? Disertè respondit: Non opus ipsum, quod est operire nudum, ,, peccatum esse; sed de hoc *non in Domino gloriari*, seu ad aliud quàm ad Deum ,, hoc referre. Patet hinc rursùs, ut antè, ex hâc Doctrinâ non sequi: Omnia ,, *Infidelium opera esse peccata*. & *Philosophorum virtutes*, vitia: patet etiam non ,, omnem *amorem creaturæ rationalis* ideò esse vel vitiosam cupiditatem, vel laudabilem istam charitatem, de qua in Propositionibus Bajanis: quia voluntas v. g. ,, operiendi nudum in homine infideli, amorque naturalis erga communem naturam, & similes affectus, nequè illa charitas sunt; nequè cupiditas appellari debent, cùm moraliter boni sint, & ad Deum referri possint: etsi pari ratione cupiditas à S. Augustino quandoquè appellantur, ratione defectûs talis relationis, ,, qui vitiosus est, sed agentem vitians, non ipsum actum. ,, Ità ibi. Nec dissentiunt à nobis, jam saltem, etiam cæteri: nè illi quidem, qui præ reliquis hic accusari solent. Dum enim nuper Romam miserunt Responsum suum ultimum ad Accusationes 18. contra se ex quodam *Compendio* factas; non erubuerunt eandem quoquè viam ingredi, quanquàm hactenùs publicè non ita eam sint professi.

DE OPERIBUS INFIDELIUM.

PROPOSITIO I. & II.

N*Ecesse est Infidelem in omni opere peccare* Est. 8.

Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per Dilectionem operatur, peccatum est. Est 11.

NO-

NOTA VII.

Ambæ citantur in Scripto Romæ porrecto, tanquàm olim defensæ sub *Fromondo*. nec mirum foret, ex quo Jansenius Propositionem Baii tunc resuscitaverat, *Omnia opera Infidelium esse peccata*. Vide eam alibi cum *Notis* nostris. Vide etiam dicta hìc suprà, de operibus non solùm bonis, sed etiam benè factis ab Infidelibus, dum præsertim ad Fidem disponuntur. Habet autem hoc secunda harum Propositionum adhuc præ prima, quòd nè quis peccet, fidem etiam formatam requirere videatur, utpotè quæ exprimi solet his Apostoli verbis: *Quæ per Dilectionem operatur*.

DE FIDE.

PROPOSITIO UNICA.

QUando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana. Est 12.

NOTA VIII.

Hanc detulit P. Duffius cum ista quæ eam immediatè procedit: *Fides non potest esse sine charitate*; & cum hac marginali nota in utramque: " Non videntur, inquit, „ ista Tridentino cohærere Sess. 6 can 28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gra-* „ *tiâ simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet* „ *non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathe-* „ *ma sit*. Imò & Apostolo 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes* „ *transferam, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest*: ubi supponit, „ fidem posse esse sine charitate. Unde Aug lib 15 de Trin. c. 18. *Fides juxta* „ *Apostolum sine charitate esse potest*." Hæc ille. Ex quo patet, Propositionem hanc acceptam fuisse, uti accipi potuit, eo sensu, ut asserat non dari fidem informem: quod omnis Theologia, & fides ipsa, respuit. Solùm admittunt Theologi communiter in fide Christiana pium quendam credulitatis affectum; de quo ita Wiggers in 2. 2. q. 2. art 2. num. 16. *Peccatores licet non diligant illum* (Deum) *amore perfecto & charitate formato; qui tamen verè fideles sunt, non carent omni omnimò animi & affectûs tendentiâ ac motione in Deum*. Et S. Thomas q. 5. art. 2 ad 2. *Fides* inquit, *quæ est donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni, etiamsi sit informis* Quæst. autem 2. art. 2. in fine O, ostendit hunc affectum esse erga veritatem primam: & similia plura habet alibi. Vide sis Aphorismos nostros p. 2 Disp. 2 Aph. 5. ubi tamen notamus, *non omnem* ejusmodi *affectionem bonam erga Deum aut aliquod ejus attributum, pertinere ad charitatem quæ est tertia virtus Theologica*.

DE SPE ET MERCEDIS INTUITU.

PROPOSITIO I. & II.

Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. Est. 13.

Intentio quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. Est 10.

NOTA IX.

Delatæ sunt hæ tanquam è quodam Authore sumptæ, uti & plures aliæ, propter quem non ita quoque pridem tot scribebantur libelli diffamatorii: unde & nomine ejus, etsi Lovaniensis nunquam fuerit, satiùs abstinebo. Ut verò sensus ejus magis appareat, juvat tertiam addere Propositionem quæ ex eodem delata erat inter has duas media: *Tunc solummodò intuitu mercedis rectè operamur, quando operamur propter mercedem in eum finem, ut eâ obtentâ Deo meliùs & exactiùs serviamus,* nempe in cœlo. Atque hoc erat quod ipse cum aliis passim existimabat doceri in Tridentino Sess. *6.* cap. 11. in fine, ubi justi *cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.* Nempe hoc ita accipiebant, ut justi mercedem istam intueantur, sed ad eum finem illam referant, ut in primis glorificetur Deus per ipsam: adeoque malum fore credebant, si aliter mercedem istam intuerentur.

II. At jam pridem variis occasionibus annotare cœpi, non esse hunc germanum istius loci Tridentini intellectum. Magis tacitè id factum Aphorismorum P. 1. Disp. 34. Aph. 14. "Sed an ergò vitæ illius & mercedis intuitu rectè ju-„stus operabitur? Nefas est dubitare: neque ergò vel venialiter peccaturum, si „in opere bono, cum hoc in primis ut glorificetur Deus per illud (qui propriè „charitatis est finis) mercedem quoque (quod spei est) intueatur æternam. Ab-„sit enim ut quis peccet, dum merum exercet actum alicujus virtutis Theolo-„gicæ: nec mirum, cùm omnis ejusmodi actus sit *bona voluntas*, adeoque & Au-„gustino *Charitas*. Ita ibi. Deinde luculentiùs P. 2. Disp. 24. Aph. 3. "Pari mo-„dò intelligunt illud Trid. Sess. *6.* c. 11. ubi dicuntur justi in operibus suis *cum hoc* „*ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intueri æternam*: quasi nimirùm „mercedem istam ideò intueantur, ut per ipsius possessionem glorificetur Deus. „Verùm jam alibi locum illum Tridentini aliter exposuimus, uti certò exponen-„dus est: nempe ut justi dicantur mercedem intueri æternam, sed tantùm veluti „secundariò: principaliter autem, seu *in primis*, intendant, ut per eadem opera sua „Deus glorificetur. Et hunc modum operandi Synodus probat, atque ab omni „vitio immunem pronuntiat". Sic ibi: & sequuntur alia quæ idem fusiùs declarant. Credidimus ergò, juxta Tridentinum, intuitum illum Mercedis, quæ Deus est, quatenùs à spe procedit, imperatque detestationem mali & prosecutionem boni, sanctam esse & Deo placentem, estò ulteriùs ad aliud non referatur: Spei namque actus, juxta nos, sanctus est & Deo placens, absque alio accedente: Deum

Deum quippe pro objecto formali & materiali habet; nec refertur ad creaturam, ut ibid. ostendimus. Ita ut videri possimus, non hìc minùs quàm in tot aliis, Censuram hanc Rom. prævidisse. Non prævidi tamen, nisi quatenùs hæc quæ tradi videbam, credidi jam pridem in sana Theologia non subsistere.

DE TIMORE GEHENNÆ ET ATTRITIONE.

PROPOSITIO I. II. & III.

Timor gehennæ non est supernaturalis. Est 14.

Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. Est 15.

Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. Est 9.

NOTA X.

I. Duæ priores in eo fundabantur, quòd nihil naturalius videatur, quàm ut quis quomodocumquè sciens gehennam peccatoribus præparari, eandem timeat, ideòque de peccatis suis doleat. Quod in Trid. sess. 14. cap. 4 dicitur de metu gehennæ, & attritione ex illo conceptâ, quòd donum Dei sit, & Spiritûs Sancti impulsus, adeòque supernaturalis; id passim explicabant, tanquàm dictum pro casu, quô voluntatem peccandi eadem illa excludunt: hoc autem sine amore benevolentiæ fieri non credebant.

II. Atquè his equidem jam pridem restitimus: nuper expressiùs in Dictatis publicis ad Commentaria Wiggers de Sacramentis; recentiùs verò etiam in *Aphorismis* p. 2. disp. 25. Aph. 4. sic timori pœnarum vindico suam bonitatem. " Timor „ servilis duo importat; & quòd pœna timeatur, & quòd eadem timeatur tanquàm „ principale malum. Primum de substantia talis timoris est: sed nihil inordinati ha„ bet; imò prorsùs ordinatum est, quòd timeatur pœna, cùm reverà sit timenda. „ Ideòque hic timor etiam commendatur, ubi dicitur loco mox citato: *Timete eum* „ *qui potest & corpus & animam perdere in gehennam*: q. d. Timete hoc ipsum, *perdi* „ *in gehennam*. Deindè ut notat hìc S. Thomas, Timor iste *ordinari* potest *in Deum*, „ ut *contingit in habente charitatem*. Ergò in substantia sua non est malus, sed ordi„ natus, atquè etiam utilis, & ità bonus." Huc usquè de bonitate: nunc de supernaturalitate, Aph. seq. ubi dicitur. " De Timore servili dicit hìc S. Thomas, non „ esse numerandum inter 7. Dona Spiritûs Sancti, quia juxta Augustinum potest „ habere annexam voluntatem peccandi. Quo utriusque S. Doctoris dicto insinua„ tur, fieri posse ut eam voluntatem annexam non habeat: primùm nempè intel„ ligendo de voluntate propriè dictâ, seu consequente & absolutâ, quam etiam „ sæpè habent aliqui, etsi pœnas timeant. Imò hanc voluntatem peccandi timor „ excludere potest, quatenùs manum cohibet, hoc est opus peccati, adeòque & „ absolutam operis voluntatem. Et dum sic excludit, *utilem* illum, & *donum Dei* „ esse, Synodus Trid. affirmat, si unà *spem veniæ*, & non desperationem, secum „ habeat."

III. Undè

III. Undè jam spontè patet, corruere damnatarum propositionum fundamentum. Esto enim gehenna naturaliter timeri possit, atque inde etiam doleri de peccatis: nunquam tamen timor ille aut dolor duo hæc habebit, ut & voluntatem peccandi excludat, & spem veniæ secum habeat, nisi è cœlo veniat, & à Spiritu S. adeoque naturam superet. Porrò quod *voluntas peccandi* de consequente & absoluta accipienda sit, ulteriùs sic confirmari potest: quia Tridentinum & S. Thomas loqui solent de rebus ut sunt propriè & simpliciter: atqui ipse S. Doctor alibi disertè affirmat, nonnisi voluntatem *Consequentem* (in Deo, & idem est de creatura rationali) *simpliciter* esse *voluntatem*. Vide 1. p. q. 19. art. 6. O. in fine

IV. Propositio ex his tribus damnatis ultima, eodem quoque supradicto errore nitebatur. Quod Tridentinum dicit, Attritionem quæ *ex turpitudinis peccati consideratione* concipitur, non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse &c. id rursùs intellexerunt, si *voluntatem peccandi excluderet*, quod putabant sine amore Dei benevolo fieri non posse. Itaque dum amor ille abesset, crediderunt se tutò dicere attritionem illam esse malam & peccaminosam. Verùm applicari hic tantùm debent, quæ mox suprà de timore pœnarum diximus; & videbimus eandem attritionem esse bonam & utilem. Quippe reverà peccatum ob suam turpitudinem detestationem meretur: ordinatè ergò illud, etiam merè ex tali motivo detestamur. Detestatio hæc ad Deum ordinari potest, *ut contingit in habentibus charitatem*. Potest quis ex charitate excitare in se detestationem istam merè ut respicit peccati turpitudinem: quidquid autem à charitate imperari potest, minimè est peccatum.

V. Verùm, dices, post hæc omnia nihil adhuc eo pacto habebitur contra obligationem referendi nostra in Deum: quod tamen in primis amarent, qui Censuram procurârunt. Id quidem ultimum ego nescio, sed facilè credo. Verùm nihil hactenùs nos ad ejurandam obligationem ejusmodi coëgit. Doctrinam Scholæ nostræ super eâ re coram Apostolica Sede candidè exposuimus: Censuram illius avidè depoposcimus. Nulla secuta est; nè jam quidem, licèt eadem Doctrina nostra cum Articulis nunc damnatis esset in eodem Scripto delata. Damnamus damnata: quibus autem S. Sedes adhuc tam studiosè parcit, quid alii quidam ea sigillant?

DE PRAXI POENITENTIÆ.

PROPOSITIO I. & II.

Ordinem præmittendi satisfactionem Absolutioni, induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante. Est 16.

Per illam praxim mox absolvendi, Ordo pœnitentiæ est inversus. Est 17.

NOTA XI.

I. Utraque harum in Scripto Romæ porrecto adscribitur Theologis adhuc spirantibus, & qui sive per se vel suos, tueri se possunt, si falsò sibi adscriptas existiment:

ftiment : ut propterea non ampliùs, ut suprà pro mortuis, adferendæ sint excusationes. Prima adscribitur D. Arnaldo de Freq. Com. p. 2. cap. 8. altera P. Gabrielis pag. 155. De mente illorum ego nolo judicare. De Propositionibus ipsis hæc breviter dicta sunto. Prima quidem fundata videri posset in verbis S. Leonis I. quæ loco jam dicto citantur ab Arnaldo ex epist. 91. *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum, homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pænitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Hæc Leo apud Arnaldum. Accedit quod idem Theologus notat, hunc è luculentioribus esse Patrum locis, quibus Catholici probant adversus Sectarios, Confessionem omnium peccatorum mortalium esse juris divini: quod argumentum videtur non processurum, nisi vis fieret in eo, quòd Christus omnia, velut ibi dicta sunt, ipsemet instituerit.

II. Dicendum tamen omninò, doctrinam Articuli damnati ex isto tanti Pontificis testimonio non sequi. Primò quia clarum est, Leonem vim non facere in ordine ibi descripto, sed tantùm in potestate sacerdotum ad absolvendum relapsos post baptismum; etsi obiter quoque meminerit, quo ordine res illæ tunc temporis gererentur. Tradidit, inquit, illis potestatem ut hoc ita facerent. Quis dubitat? at non addit, non reliquisse etiam iisdem facultatem, alio ordine ista administrandi, si secundùm spiritum Ecclesiæ præsidentem ita ipsis videretur. Ad argumentum contra sectarios nostros quod attinet, fundatur illud in verbis bene disertioribus; & qualia si pro hoc ordine forent, res esset confecta pro Arnaldo. *Sic*, inquit, *divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* Deinde si doctrinam damnatam ex verbis S. Pontificis intulerimus, sequetur ne aliter quidem per Ecclesiam statui, imò permitti posse: malè administrari Sacramentum Pœnitentiæ ubicumque non eo ordine administratur. Perperam namque fit, nec Ecclesia permittere valet ut fiat, quidquid contra legem & præsciptum Christi attentatur.

III. At verò secunda Propositio hoc ipsum admittit. Juxta illam Ordo invertitur qui pœnitentiæ naturalis esse deberet, utpote ab Authore ejus Christo profectus. Sic enim illam accipio, ut damnari meruerit. Nam alioquin ordinem inter partes pœnitentiæ inverti, qui aliquando in Ecclesia fuit, nihil tantoperè mali habere videtur. Idem spiritus Ecclesiam dirigens, fervori fidelium temporibus illis convenientius reperit, ut satisfactio, eaque notabilis admodùm, Absolutionem præcederet: idem infirmitati temporum nostrorum condescendens, aliud nunc magis expediens judicavit. Et quis est qui illi dicat, Cur ita facis? pluribus hæc Propositio refutanda non est, quia corruit ultrò, convulsâ priore.

IV. Exciderat dicere aliquid circà extremam illam particulam Propositionis primæ; *Naturâ rei ita quodammodò dictante*: cujus nullum vestigium apud Arnaldum invenio, citato saltem loco. Fuerit forte illa apud Authorem alium cui

ibid.

ibid. adscribitur, *Compend. deduct.* pag. 22. Difficilè autem ille, vel quivis alius, probaverit, naturam rei dictare, ut satisfactio absolutionem præcedat. Tridentini Patres probare volentes partem eam Pœnitentiæ quæ satisfactio dicitur; repetunt illius fundamentum ex S. Scripturæ perspicuis, ut inquiunt, & illustribus exemplis, quæ probant culpam aliquando à Domino remitti, non condonatâ universâ illius pœnâ. Clarum est respici ad exemplum Davidis, cujus Dominus transtulit peccatum reservatâ pœnâ; & ad aliquot similia, quæ etiam in margine annotari solent *Sess.* 14. cap. 8. Atqui locis illis omnibus Deus per Prophetarum ministerium, aut aliter, dimittit culpam nondum impletâ satisfactione. Et hoc ipsum etiam naturalissimum est, ut amicitia non differatur, etsi pœna aliqua sit adimplenda. Ita ut potiùs propter rationes solùm extrinsecas factum sit, ut initiò Ecclesiæ, aliter quàm natura rei dictabat *stola prima* & *annulus* filio prodigo dilata sint usque ad finem pœnitentiæ, cùm aliàs *citò* viderentur proferenda, ad parabolici istius Patris exemplum. Hoc quidem dictat natura rèi, quemadmodum ibid. Trid. notat, tamque *divinæ justitiæ* quàm *clementiæ ratio exigit*; ut non absque satisfactione peccata post Baptismum commissa dimittantur: sed satisfactione, quæ saltem remissionem culpæ consequatur, velut in iis exemplis *S*cripturæ accidit, ad quæ se S. eadem Synodus refert. Legat eam qui volet sine præventione, & ne vestigium quidem illìc inveniet hujus sententiæ damnatæ, sed omnia clarè contraria.

PROPOSITIO III.

Consuetudo moderna quoad administrationem Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. Est 18.

NOTA XII.

Imputatur & hæc Arnaldo In Præf. pag. 66. & 67. in Gall. Neque rursus in mentem ejus inquiro. Argumenta breviter recenseo & solvo, quæ ex ipso colligi posse videntur. I. Concilium Tridentinum sess. 22. de ref. cap. 2. circa Clericos præcipit, ut quæ antiquitùs constituta erant, & jam passim à pluribus negligebantur, *Eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur*: Ergò licèt invaluerit consuetudo moderna Pœnitentiæ, ut in Propositione damnatâ; non pro usu sed abusu habet eam Ecclesia, cupiens semper eâ abolitâ veterem ritum restitui. Quod nè durum videatur, ipse Bellarminus alicubi admittit, usum jejunia solvendi circa meridiem, *ab Ecclesia non imperari, sed tolerari*: Ergò idem dici potest de usu pœnitentiæ, cujus jejunium est pars quædam.

II. Ut verum fatear, si voluerit Author ille rationibus hisce fulcire doctrinam quæ ipsi attribuitur; infirmis nisus est fundamentis. Quis dubitat in moribus hominum invalescere posse quædam, etiam apud multos, & tempore longo, quæ Ecclesia identidem vetet, & demùm renovatis omnibus statutis anterioribus, severissimè conetur profligare? Hoc fecit Tridentinum circa vitam & mores Clericorum.

rum. Nec diffitendum, intereà dum ista passim inter Clericos vigerent, abusum fuisse (quoad multa saltem quæ nullâ consuetudine præscribuntur) non usum. At quid hoc ad usum modernum pœnitentiæ, ut is idcircò abusus vocari debeat, aut omninò possit? Nisi fortè omnia quæ cum usu aliquo prisco Ecclesiæ non conveniunt, abusus dicendi sint. An Ecclesia tot jam sæculis posterioribus usum modernum pœnitentiæ decretis & prohibitionibus coercuit; perindè ut excessus Clericorum, de quibus agit argumentum? An usq; àm illi saltem [illegible] ? Adde quòd prætereà ingens discrimen existat inter mores aliquos in Ecclesia (ut quòd Clerici venationi vel aleis indulgeant, Ecclesiam malè frequentent, ac si quid est ejusmodi ad quod respicit Tridentinum) & Ritum, Praximque alicujus Sacramenti, in cujus administratione pars magna Religionis Orthodoxæ versatur. In prioribus excessus semper erunt pro multò maximâ Ecclesiæ parte: non enim tam præclare unquàm agetur cum rebus humanis, ut quæ optima sunt, pluribus placeant. Verùm in aliis istis, undè pendet Religio, cogitare aliquando per Ecclesiam universam nonnisi abusum grassari; quid aliud hoc est, quam Ecclesiam ipsam tollere? Sectariorum quidem nostrorum error est, Ecclesiæ Notas has duas dumtaxàt esse, Rectam Verbi Dei *Prædicationem*, *administrationem* item *Sacramentorum* rectam: attamen certissimum est, Ecclesiam non esse aut fore unquàm sine dotibus illis. Ubi *Sanctitas* illius, ubi puritas, si hæc desint? Non *macula* certè, non *ruga* hæc foret in corpore Ecclesiæ: sed [illegible] corporis labes & ruina.

III. Non quòd fieri posse negem, ut uno aliquo tempore ubiquè ferè sint, qui perperam administrent Sacramenta, uti & qui perperam prædicent Verbum Dei. Imò, ut dixi, semper hæc fuerunt, sunt nunc, & erunt. Sed tamen semper habebit Ecclesia hâc in re leges suas notas, easque sanctas, in viridi observantia apud plurimos [illegible] ut verè dici possit, Ecclesia rectè hodiè docet & practicat. Nimius sim, si omnia quæ hic dici possunt, persequi velim: præsertim cum *Notas* profitear, non Volumina; & mox forte alia futura sit fusius de eodem argumento disserendi occasio.

IV. Supererat tantùm verbulo respondêre ad aliud istud argumentum ex Bellarmino. Nempè dixerat ille, usum quendam circa jejunium ab Ecclesia non imperari, sed tolerari. Quid mali? Si tantùm itidem diceret damnata Sententia, *non imperari, sed tolerari* Praxim pœnitentiæ dem, quæ nunc est in Ecclesia: minus saltem peccasset. Si quis à pœnitentibus [illegible] impetrat, ut hi more prisco secum agi velint; non *imperabit* Ecclesia ut aliter fiat. At nunc *abusum* vocat, alios omnes sic facientes damnat. Quid rursus est simile? Ut præteream quòd iterùm nihil commune habeat defectus quispiam in jejunio, cum Administratione publica & quotidiana talis Sacramenti: præsertim si Praxis cui is repugnat, non Ecclesiasticæ, ut jejunium, sed Divinæ foret institutionis.

PROPOSITIO IV.

Confessiones apud Religiosos factæ, plerumque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ. Ed. 29.

NOTA XIII.

I. De hâc accusantur in sæpiùs citato Scripto illi, *qui passim* ut illic dicitur, *sacrilegas indigitant Confessiones aliter quàm secundùm suam Methodum factas*. Quâ in re plura sunt, quæ ex factis pendent. Primùm, an *Methodus* illa talium sit contraria Praxi pœnitentiali Religiosorum, non horum aut illorum, sed indefinitè, hoc est, moraliter universè. Deindè, an qui hanc *Methodum* tradunt, putent sacrilegè fieri quidquid fit contra illam. Si namquè hæc forent, tum viderentur isti impingere in hunc Articulum. Ex fructibus autem illorum cognosci illi possent. An non passim Sacramenta administrent iis qui apud Religiosos confessi fuerint; an hos ad sibi confitendum non recipiant, non exactâ in ipso limine Confessione generali, &c. sed hæc, ut dixi, ex factis pendent; in quibus & disquisitio est operosior, & utilitas minor; ut proptereà ad alia meritò transeamus.

II. Juris est, quo pacto Roma ita approbet Religiosorum praxim, sic saltem ut nolit eos invidiâ aliquâ speciali laborare? Putem ego id fieri, non adeò ex suppositione facti, quòd Religiosi passim ut minùs tam rectâ utantur praxi ac Clerici seculares (quanquam & illa sit fundata;) quàm ex consideratione hac, quæ certè magni apud me est momenti. Religiosi, præsertim Mendicantes tam notabile corpus constituunt in Ecclesia, ut post Ecclesiam ipsam non sit aliquod latiùs se extendens, magisque sibi cohærens. Quo fit, ut nullus error magis dedecorare posset Ecclesiam, quàm qui Religiosis Ordinibus in fide vel Religione, adeoque Sacramentorum Administratione, accideret. Quid enim si copiæ auxiliares missæ per universam illam castrorum aciem ordinatam; à fide magni Imperatoris defecerint, animum inimicum induerint; impugnentque quà verbis quà factis, eam quam propugnare eos oportuerat, civitatem in monte positam? Talemne nobis imaginari libet Ecclesiam? Quid si verò illi ostendere possint, secum sentire & practicare Pastores ordinarios per Orbem universum, exceptis in parva terrarum parte pauculis; quin & ipsam Ecclesiam Rom. cæterarum Matrem & Magistram? Itaque valdè ut minimùm temerarium est, velle cum Articulo hoc damnato, Confessiones apud Religiosos factas, ita invalidas esse aut sacrilegas. Cæterùm ipsimet quoque facilè admissuri sunt, inter tot suos Confessarios, plures esse, non minus quàm inter seculares, qui sacramentum hoc non satis dignè, nec ex mente Ecclesiæ administrent. *Iliacos intra muros peccatur & extrà.*

PROPOSITIO V.

Parochianus potest suspicari de Mendicantibus qui Eleëmosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis. Est 20.

NOTA XIV.

Et hæc uni è Mendicantibus adscribitur, Authori nempe *Theoph. Paroch.* p. 3. art. 26. qui an eam reipsa habeat, non vacat excutere. Quicumque illam habeat, injuriosa est, invidiosa, minimeque fundata. Non plus in Religiosis per se periculi est istius philautiæ, quàm secularibus. Nec paupertas avidior esse solet, quàm abundantia. Quinimò si discrimen est, *Crescit amor nummi quantùm ipsa pecunia crescit.* Nec aliud efficacius invênit Ecclesia, ad habendos Ministros quosdam extra avaritiæ suspicionem & occasionem; quàm adimere ipsis dominium & proprietatem, ac sinere eos ex solis fidelium eleëmosynis pendêre. Quid verò quòd idem quoque Dominus fecit in Evangelio, dum Discipulos misit sine pera, aliàque omni provisione, hâc exceptâ: *Comedite quæ apponuntur vobis*, &c. *Dignus est operar us cibo suo.* An hos quoque in suspicionem adducere voluit, non bene tractandi verbum Dei vel Sacramenta, turpis lucri gratiâ? Non dubium rursùs, quin Religiosi admittent, fieri posse ut nonnulli è suis hac in parte laborent: sic tamen ut & nos fateamur, non omnes seculares hujus infirmitatis immunes esse. Jam inde Apostoli tempore, *Omnes* (hoc est, passim, & quidem Ministri) *quæ sua sunt quærebant.*

PROPOSITIO VI.

H*Omo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.* Est 19.

NOTA XV.

Accusatur hîc à *P. Duffo* Catechismus quidam Gandensis, quem numquam vidi, quique in ipso exortu dicitur esse suppressus. A quocumque sit, hic Articulus, certò est falsus, ut jam olim ostendit Doctor Angelicus ex professo, Supp. q. 2. art. 2. ubi ne quidem contritionem admittit de peccato originali. Deinde Baptismus quo peccatum originale deletur, non tantùm culpam delet, sed & pœnam omnem. Neque hac de re audita est unquam his saltem in partibus controversia. Sunt quidem qui etiam austeritates convenire putant post Baptismum, quas subinde etiam *Pœnitentiam* vocant: & sic Arnaldus de Freq. Com. Præf. pag mihi 27 inclinat ut credat S. Paulum secessisse in Arabiam ut pœnitentiam ageret. Verùm cùm mox idem dicat de Christo post Baptismum; non potest intelligere nisi de austeritate, quæ vulgariter pœnitentia vocatur. Et sic etiam locuti sumus in Aphor. p. 1. Disp. 24. Aph. 8. & 9. de Peccato Originali. " Ex " vulneribus per idem peccatum inflictis, relucet, quàm diffidere debeamus mo- " tibus omnibus, seu intellectûs seu voluntatis, seu denique appetitûs nostri infe- " rioris, utpote suspectis, tanquam ex pessima illa origine venientibus Et cùm re- " ipsa ex pessima illa origine plerique veniant; quàm certandum contra illos, nos- " que ipsi nobis eatenùs odio habendi. At hinc ulteriùs exurgit, quòd vita Chri- " stiana debeat esse continua pœnitentia; quòd rectissimè tam multi recedant à " seculo; & solitudini, silentio, laboribus, austeritatique se dedant: quorum om-

nino

nino nihil necessarium aut utile fuisset, absque origine vitiata". Sic ibi: quam equidem doctrinam, & veram, & communem, & valdè notandam existimo. Sed quòd pœnitentia propriè dicta agi pro Originali debeat, non tantùm totâ vitâ, sed vel die aut horâ unâ, nemo dixerit. Uti alienâ voluntate totum quod in eo est, contractum fuit: ita, juxta S. Thomam loco mox citato, totum alienâ voluntate diluitur. Concedit tamen idem S. Doctor dolorem, & displicentiam, de eodem peccato: adeòque & sensum humilitatis concederet, quâ dicebat ille, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, diceretque sibi ipsi quilibet, ut notamus in Aphorismis, *Tu in peccatis natus es totus*. Ita cessare existimo omnem hìc prorsùs difficultatem.

DE S. COMMUNIONE.

PROPOSITIO LII.

Sacrilegi sunt, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. Est. 22.

Similiter arcendi sunt à S. Communione, quibus nondum inest Amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. Est. 23.

NOTA. XVI.

I. Attribuuntur rursùs D. Arnaldo & P. Gabrielis: sed ordine inverso. Locus Gabrielis citatur pag. 139. Arnaldi verò præf. pag. 24. Factum rursùs ob rationes ut suprà, non tango. Prima de ea *pœnitentia* intelligitur quæ vulgò vocatur talis; nempe *Satisfactione*, & operibus à Contritione & Confessione distinctis. Nam aliòqui si de hac ultima pœnitentia intelligatur, certum est ad Communionem prætendere non debere, nisi qui juxta S. Paulum, ipsumque Trid. per has pœnitentiæ partes se probaverit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat* &c. Quæ acceptio pœnitentiæ sanè notanda: ut si Scriptura aliquando vel Patres de necessitate pœnitentiæ loquantur aliter quàm videatur velle hujus vel præcedentis Propositionis damnatio; sciamus de illa pœnitentia intelligendos. Sic Baptizandis ait Apostolorum Princeps: *Pœnitentiam agite, & Baptizetur unusquisque vestrùm*: certè de pœnitentiæ operibus non agens, quæ ab ipso Sacramento distinguerentur.

II. Cæterùm fundamenta Doctrinæ istius ego ignoro; nisi fortè quòd olim nonnisi per pœnitentiæ gradus veniretur ad Sacram Communionem, ut ex S. Leone suprà notavit Arnaldus. Unde & hìc addit pagellis aliquot post ibi citata; quæ de Absolutione dixit eò magis de S. Communione esse intelligenda, tanquam quæ absolutionis sit quædam consummatio. Verùm & suprà ad hæc respondimus, ostendendo ne ad Absolutionem quidem necessariam esse satisfactionem quæ præcesserit. Nec magis fundatum est quod quidam modò cogitant; videlicet Absolutionē forte Satisfactionem non male antevertere; sed rectè dilatum iri ipsam saltem S. Communionem usque ad satisfactionem peractam, sic quippe Græcos aliquando practicare cœpisse. Sed neque hoc Naturæ rei congruere, neque menti Eccles-

Ecclesiæ hodiernæ, probat & hujus praxis, & Parabola Evangelica Prodigi, ubi statim vitulus ille saginatus occisus est in epulum filii ad Patrem revertentis. Nec, puto, Davidi dilatum fuisset Epulum Eucharisticum, si jam tum fuisset institutum, donec subiisset omnem illam pœnitentiam sibi divinitùs injunctam. Quod Ecclesia olim fecit, ob alias rationes fecisse putanda est, quàm quòd putaret hoc necesse. Græcos à seculis aliquot parùm moramur: apud quos passim multa sunt heteroclita, nec parùm difficilia ut ad justum ordinem reducantur. Si quos delectat invenire talia, quæ Ecclesia Catholica tolerat potiùs quàm probat; apud Barbaros istos, ferè Barbarissimos, ut hodiè passim sunt, Græcos, ea reperire poterit.

III. Alteram Propositionem, ut sonat, credo tenere neminem; tenuisse eam Arnaldum suspicio venire potuit ex loco S. Dionysii, quem citat, aitque juxta omnes Catholicos debere esse regulam nostram. Is est Hierarch. Eccl. c. 3. ubi à Sacra Communione, & ipso Templo ubi Mysteria peragebantur, exclusi olim fuisse dicuntur inter alios, qui nondum purificati essent amore Divino & impermixto (Græcè, *Amigeî*:) quod Arnaldus Gallicè transtulit, *Pur & sans aucun mélange*; sed Phrasi istius Sancti, Scriptoris sanè inter Ecclesiasticos omnes longè ampullatissimi & maximè grandiloqui, nihil aliud sonare censendum est, quàm Amorem Dei sincerum, & Charitatem, *ex conscientiâ purâ, & fide non fictâ.*

DE BB. VIRGINE DEI GENITRICE MARIA.

PROPOSITIO I. & II.

Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ, per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quòd indiguerit purificatione; & quòd Filius qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus esset, secundùm verba Legis. Est 24.

Laus quæ defertur MARIÆ *ut* MARIÆ, *vana est.* Est 25.

NOTA XVII.

I. Prima desumpta dicitur *ex Libello Flandrico impresso Bruxellis Anno* 1675. *apud Guillelmum Scheybels*, approbante Viro tunc satis noto. Certè ut sonat, de macula Peccati, non Notas meretur, sed Flammas; si tamen ullæ ei flammæ satis esse possunt. De macula verò Legali, etiam falsa est, & piarum aurium offensiva. Non erat Legi subjectus Partus ille purissimus, & omnis Legis finis ac scopus. Nec magis ista cæremonia testatur Virginem, Filiumque reipsâ maculatos fuisse Legaliter, quàm Baptismus quem idem Filius suscipere dignatus est, testetur eundem peccati maculam habuisse. Amplius verborum ista non merentur.

II. Altera tanquàm ex Libello cui titulus: *Monita Salutaria*, Mon. 6. allegatur: quem scitur ab Annis plus minùs viginti Civis quidam Coloniensis edidisse. Haud dubiè malè sonat, & simpliciter falsa est. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ; defertur illi ut Dei Matri, ut Purissimæ & incomparabili Virgini, ut Creaturæ

 post

post BB. Christi Humanitatem Sanctissimæ, & Sanctitate Deo proximæ: hæc enim omnia, & tantò plura, est MARIA. Quæ laus illi ut tali defertur, quomodò vana erit? *Quia fecit* hæc illi *magna qui potens est, & sanctum nomen ejus*; ideò profectò non vanè Beatam illam dicunt omnes generationes, dicentque in sæcula sæculorum. Neque laus hæc omnis & honor illi tribuitur solùm relativè, ut Imaginibus; neque solùm ut Deo vel Christo conjunctæ, uti Cruci vivificæ: sed ob intrinsecas ejus tam admirabiles qualitates honor illi defertur absolutus; tametsi quòd eas habeat, hoc illi debeat, qui fecit ei magna. Reges ipsi nonnisi per Deum regnant, nec habent nisi quod ab illo acceperunt: absit tamen dicere, laudem & honorem quæ Regi ut Regi deferuntur, vana esse; imò planè *Regi tanquàm præcellenti* honorem & obsequium esse deferendum, divinitùs admonemur. Qui non amat & laudat Dominam nostram B. V. MARIAM, ut præcellentissimam cœli & terræ Reginam, Domini N. J. C. Matrem charissimam & potentissimam; anathema sit. Excedi potest in laudibus ejus atque cultu, ac haud dubiè à quibusdam exceditur. Excusare tamen & extenuare malim hos simplicium excessus, cum S. Paulino, Hieronymo, & aliis; quàm eosdem nimis criticè exagitare.

III. Sed nimirùm Ecclesia prisca devotionibus ejusmodi Virginis se minimè occupabat: redeundum ergò ad spiritum illum solidum, in quo sancta & gravis Antiquitas Deo serviebat. R. Antiquitas alibi gravis, cùm tamen ad Virginem venitur, etiam ipsa passim tenerescere comperitur. Videantur Patrum, plerumque indubitata, de Virgine dicta in Lectionibus illis, quas in Sabbatis, singulas singulis mensibus, legimus: & verum dixisse inveniar. Estò autem, Antiquitas non adeò fuisset in hoc devotionis genere: non eum in modum, ut à Bernardi tempore, elucescat apud eam Virginis invocatio. Sufficit mihi, Sanctos hodie & jam pridem, juxta Ecclesiæ spiritum qui in ipsis eluxit, esse ac fuisse mirificè Marianos. Novit ille Spiritus, qui semper idem est in gratiis donisque diversis, cur minùs evidenter tales esse voluerit sanctos quosdam Antiquiores: imò cur in ipsis Ecclesiæ incunabulis nequidem Christum JESUM D. N. tam frequenter & directè voluerit invocari. In toto Novo Testamento nescio an alius quàm Stephanus in Actis dicat, *Domine* JESU suscipe spiritum meum; & Joannes ille quem diligebat Jesus, in Apoc. *Veni Domine* JESU. Reliqui Patrem ubique invocant per JESUM Christum D. N.

DE IMAGINE DEI.

PROPOSITIO UNICA.

D*Ei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.* Est 26.

NOTA XIX.

Similem sententiam cùm Index Hispanicus jam pridem jussisset expungi è Catechismo Hesse... cap. 65. Decal. (qui pro ea in scripto Romano citatur) monui à mensibus aliquot Typographum qui novam libri editionem meditabatur, ut eandem

dem quoque omitteret; quod & se facturum recepit. Cæterùm nunquam vidi in Belgio qui doctrinam istam vel sibi tenendam, vel tradendam, aut practicandam judicaret: adeò omnia illic plena sunt imaginibus Dei, SS. Trinitatis, Patris, Spiritûs S. &c. Nec mirùm: cùm ut ipsi docentur in Catechismo pueri, Deus etsi incorporeus sit & invisibilis, in specie tamen visibili quæ simulacris exprimi potest, sæpiùs apparuerit, ut ex libris Prophetarum Veteris Test. ipsaque Apocalypsi clarum est.

II. Movere fortè aliquem poterat, quòd Tridentinum Sess. 25. de Imaginibus in Ecclesia habendis & retinendis agens, Christi quidem, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum imagines memoret, Dei verò seu Patris aut Spiritûs S. non meminerit. Sed hoc vel factum est, quòd contra Hæreticos agendo, ea res non videretur urgenda nisi in Imaginibus pro quibus evidentior erat Antiquitatis authoritas, præsertim ex Synodo 2. Nicæna, ad quam se ibid. Tridentina refert: vel certè quia eadem agere noluit nisi de eorum prototyporum Imaginibus, *quorum*, ut ait, *illæ similitudinem gerunt*; sic ut hæ ideò à nobis honorentur. Et revera si animum reflectamus, non tantoperè Dei Patris & Spiritûs S. simulacra in Ecclesiis habemus ut adoremus aut colamus, sicut Christi & Sanctorum Imagines; quàm ut memoriam prototypi nobis excitent, aut historias quasdam sacras repræsentent. Porrò Hesselium movit primùm Synodus Elibertina, quam citat Can. 36. dicentem: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere*; *ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Accessit deinde ratio quem addit cap. seq. *Ex Imaginibus*, inquit, *quibus Deus Pater aut Spiritus S. effigiatur in humana specie* (nam in specie columbæ hanc divinam personam pingi non vetat) *facilè in errorem Anthropomorphitarum... incidant imperiti, propter quos præcipuè Imagines ponuntur.* Ita ille.

III. Sed ad Concilium Elibertinum quod attinet, solutio dari solet à Scholasticis & controversiarum Scriptoribus, ubi de imaginum cultu generatim agitur: si namque aliquid faceret Canon ille, omnis prorsùs imaginum, etiam Christi, cultus tolleretur. Addita verò ratio si quid valeret, faceret etiam ut è Symbolo Apostolorum expungendum esset illud, *Sedet ad dexteram Patris.* Nunc ergò sicut periculo erroris ex verbis istis concipiendi, obviat instructio Ecclesiæ: ita & periculo simili ex humano v. g. Dei Patris, aut SS. Trinitatis simulachro.

DE BAPTISMI COLLATIONE.

PROPOSITIO I. & II.

Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris &c. *prætermissis illis*, Ego te Baptizo &c. Est 27.

Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intùs vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia. Est 28.

N O-

NOTA XX.

I. Utraque venisse videtur primitùs è ruderibus malè congestis *Morini*, quæ interim quorundam sunt deliciæ. Vir apud nos Religiosus & insignis, sed talibus plus satis [illegible]ctus; eas tradiderat, at sine sequela notabili. Prima etiam hucusque ignobilis & ferè ignota mansit: nec admodum meretur refutari. Altera apud juventutem novorum avidam in pretio esse cœpit, ex quo alterius Religionis Theologus Gallus hic evulgatus est: & ita nemo ferè non compulsus è Magistris, ut saltem problematicè illam fineret disputari. Semper tamen, ad me quod attinet, professus sum non esse hanc doctrinam meam Decessor, vir ingenti judicio præditus, *Henricus Scaille*, fusè eam refutaverat in dictatis. Ex hac inopinata condemnatione discimus, non facilè circumferri omni vento doctrinæ novæ; indidemque habemus hoc emolumenti, non ampliùs disputandum de hac speculatione sterili: nam alioquin pro praxi ne quidem disputatum fuit, consentientibus omnibus sequenda tutiora.

II. Argumenta pro hac ultima passim extant & refutantur apud Scholasticos. Præcipuum est ex loco satis obscuro D. Thomæ: sed & illud communiter solvitur; diciturque *Silvius* Duaci luculentâ id etiam fecisse Oratione. Declaratum censeri debet hujus Propositionis censurâ, *Intentionem* de qua Concilium Flor. & communiter in Sacramentorum materia, intelligendam esse *internam*.

DE AUTHORITATE PONTIFICIS ITEM S. AUGUSTINI.

PROPOSITIO I. II. & III.

F*Utilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Rom. supra Concilium æcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Est. 29.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Est 30.

Bulla Urbani VIII. In Eminenti, *est subreptitia.* Est 31. & ultima 2. Decreti.

NOTA XXI.

I. Prima specimen dat istius confidentiæ, quâ homines aliquot apud nos tractant sententiam quæ est Orbis Catholici, si in Gallia plusculos, & tandem etiam aliquos in hoc Belgio nostro excipias. Fusiùs de hac sententia hic non agendum, quia passim hodie agitur fusissimè. Adhuc gloriosuli mihi debent responsum quod promiserant ad scriptum ultimum Gallicum quod ipsis reponi feci. Iterum dico: si non nisi rem quærunt, habent quod refellant si possint. Si verò (quæ rursùs ipsorum est charitas) nonnisi nomen in quod ferociant; meum scripto illi dedi. Expleant rabiem quam concepêre. Est ratio nova, cur ringantur.

II. Altera iterùm Authori adscribitur, quem neque accusare, neque excusare,

adeòque nec nominare, animus est, ob rationes suprà dictas. Habeat sibi laudes non ità pridem à Sociis attributas. Si interim tenuit hanc doctrinam, temerè locutus est, & talia quæ latam omnibus erroribus portam aperire possent. Igitur namquè in posterum qui putaverit se clarè aliquid invenisse in Augustino (in quo nemo non ferè hæreticorum, aliorumque erronum clarè se sua sensa invenisse credit, perindè ut in Scriptura Sacra) actum est: nequè ad Pontificis Bullas, nec adeò ad Conciliorum Decreta, de quibus planè eadem est ratio, respicere debet. Quarè? quia Augustinum olim Concilia, & Pontifices approbârunt. Hoc fundamento Jansenius, ubi clarè se in Augustino invenisse credebat, *Omnia opera Infidelium esse peccata*, hærebat saltem. *Hæreo*, inquit, *fateor:* quia aliundè Sententiam istam videbat Bullâ Pontificis damnatam. At nunc nihil hærendum juxta hunc Scriptorem: qui invenerit talia clarè in Augustino fundata, non debet respicere ad ullam Pontificis Bullam. Quasi non, ut jam notavi, ad Pontificis Bullas, Conciliorum Decreta, Ecclesiæque placita, respiciendum sit, etiam dum in Scriptura aliquid putamus fundatum: nondum tamen, puto, ad Scripturæ authoritatem ascendit Augustinus, utcumque venerabilis in Ecclesia Catholica sit ejus authoritas. Quid aliud in Hæreticis nostris culpamus, quàm quòd Scripturam suo sensu explicantes, Ecclesiæ interpretationem spernunt? Non quòd major sit Ecclesia Spiritu in Scripturis loquente: sed quia disertiùs loqui solet; cùmque sit Judex vivus, & qui interrogari possit; ampliùs nobis de sensu ejus constare soleat, ubi Scriptura obtorto quasi collo in partes diversas rapi potest. Non difficile est hoc Augustino accommodare; nec indecorum ei est, si de illo dicatur idem quod de Scriptura. Phrases suas non magìs hæc quàm ille habet usui nostro hodierno parùm accommodas: Sensus hæc quidem sublimiores, sed tamen & ipse frequenter sublimes, parùmque ad uniuscujusque captum. Quid plura? Post Canonicos non est Scriptor, undè temeritas humana plures acceperit hæreses & errores, quàm Augustinus. Et adhuc ille solus consulendus erit, & quidem Tironibus, ut judicetur de Doctrina Catholica? Imò verò, quod hìc non inutiliter moneri potest, jam pridem existimavi, nè satis consultò quidem absque ulla prævia Theologiæ notitia, tradi Opuscula ejus in materia de Gratia, Tironi Theologo; ob terminos plurimos, quos facilè indè acceptos in sensum hic torqueat nec Augustino, nec Fidei Catholicæ consonantem. De Scriptura non perindè adhuc est periculum: quia qui in illa sunt scopuli, etiam tironibus notiores esse solent, & quotidiè ipsis deteguntur: habentque præterea dum ad eam accedunt, hanc quâ præmuniuntur opinionem, multa esse illic difficilia intellectu; cùm alioquin ad Augustinum veniant & mittantur, tanquàm omnia in illo plana sint atquè obvia.

III. Tertia denique & ultima harum Propositionum adscribitur nescio cui Theologo (nomini parcitum voluit P. Duffius) *qui Lovanii*, inquit, 19. *Octob.* 1678. *argumentans asseruit; de quo testimonium confectum est, & Romam missum.* Additque idem: *Estque*, ait, *frequens, & sæpiùs ipse audivi, in ore Academicorum Lovaniensium, quodam Simnichii Româ reducis testimonio nitentium.* Ita ille. Ego verò & tunc Romæ absui: & nunquam tale audivi ab ullo Academico. Studiosorum potuit esse ista protervia quam tamen fateor in eorum culpam redundare, qui talia fortè sciunt, nec coërcent. Fœtère ultrò nos faciunt apud Ecclesiam Catholi-

cam, ſiqui ſunt tales. Articulum ipſum refutare non eſt opus. Quæ poſtmodum ab Innocentio X. & Alexandro VII. venerunt adverſùs Janſenii librum & Doctrinam (Bullis certè non ſubreptitiis) majora ſunt, quàm quæ Bullâ, *In eminenti*, decreverat Urbanus VIII.

CONCLUSIO.

Conatus ſum in omnibus aſſequi quantùm potui, mentem Cenſuræ Romanæ, quam libens amplector, cuique me totum ſubjicio, ac omnes qui curæ meæ commiſſi ſunt, ſe ſubjicere volo atque hortor. Sicubi erravero, nec eidem Cenſuræ ſatisfacio; cupio mihi oſtendi à doctis errorem meum, meque eum publicè retractaturum recipio. Proteſtor interim, me nullius gratiæ aut odio hic ſervire voluiſſe. *Nullum præmium*, (ſic quidam legunt apud Hieronymum) *niſi Chriſtum ſequens, Cathedræ Petri communione conſocior*. Damno quod illa damnat: probo quod probat. Minentur mihi *flagra* qui volent; uti dicuntur dum hæc ſcribo, mihi quidam minari. Ego cum Domino meo *in flagella paratus ſum*. Neque ea, ut hactenùs, aliter interpretabor, quam pro argumento acerrimi iſtius ſenſûs, quo aliquos afficit, quòd ſit in Facultate Lovanienſi, qui publicè vexillum extulerit adversùs quotidianas novitates. Deus tantùm conatus quos, ſpero, dedit; ipſe ſecundare velit: nec propter peccata mea eos ſinat effici infructuoſos.

FINIS.



Additio ad Prop. 16. & 25.

FAcio quod promisi in Conclusione. Monitus sum à [illegible] Theologis E[illegible] [illegible] circa Propositiones duas, sic tanquam ad [illegible] s non [illegible] ecerim objectionibus Hisergò conor satis facere amplius.

I. Prima est in Decreto posteriori ordine XVI. ad quam (pag. 19.) non satis videmur respondere Authoritati S. Leonis PP. hæc quippe videtur Ordinem inter partes Pœnitentiæ sic asserere, ut necesse sit Satisfactionem antevertere eam quam ipse Reconciliationem, nos Absolutionem vocamus. *Mediator, inquit, Dei & hominum, homo Christus Jesus, hanc præpositis [illegible] ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam Reconciliationis admitterent* Altera e[illegible] in eod. Decreto Ordine XXVI. quam refutando, annotare omisimus, [illegible] totidem penè verbis haberi apud Aug de Fide & Symb cap. 7. quem locum H[illegible] selius dumtaxat refert: ita ut jam non tam Hessellus refutandus, quàm Augustinus videatur. Verba quippe hujus sunt, citante Hessellio: *N[illegible] humanâ formâ circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de [illegible], dexterum aut sinisterum latus animo occurrat, aut [illegible] Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est: ne in [illegible] damus sacrilegium [illegible] Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem [illegible] ruptibilis hominis. Tale enim* SIMULACRUM DEO NEFAS EST CHRISTIANO IN TEMPLO COLLOCARE, *multò magis in corde nefarium est, ubi verè est templum, si à terrena cupiditate atque errore mundatur*. Ita ille.

II. Ad primum quod attinet, credebam equidem me fecisse satis: neque [illegible] S. Leo aliud dicere videtur, quàm, ut [illegible] Christum [illegible] potestatem administrandi Pœnitentiæ Sacramentum eo ordine quo tunc administrabatur. Quod nihil facit contra potestatem administrandi, ut administraret & diu administratum est hâc ætate posteriori. Demus tamen, Leonem ita loqui, ut dicat servandum ordinem illum, quo ejus tempore hoc Sacramentum [illegible] ratum [illegible]. Commodùm tunc unâ solutione satisfiet ad hæc & sequentes, & [illegible], difficultates.

III. Jam pridem annotavimus in Thesi quadam [illegible] de pœnitentia, hallucinari eum oportere in SS. PP. totaque Antiquitate, qui [illegible] illìc poni tanquam necessaria; sed juxta [illegible] temporis sic tamen ut si verba inspicias, putes, necessaria esse absolutè, & ex [illegible] vel naturæ instituto. Videlicet Sancti istorum temporum [illegible] hil attenderunt; esse [illegible] à Do[illegible] er [illegible] non verò ab Ecclesia pro [illegible] temporis instituta. Di[illegible] jura, nec [illegible], nec omninò disquirebant. Quid quod & A[illegible] ipsi hâc [illegible] ? Notum est quid in Actis suis [illegible] Immolatis, [illegible] & [illegible] (quod mirère) [illegible]

Om-

Omnia ista Ecclesiæ Antiochenæ ac [illegible] parker interdicta voluerunt: putares eodem jure vetari omnia. Cùm tamen priora nonnisi jure Ecclesiastico ad tempus; posterius etiam divino & naturali, adeoque perpetuo & immutabili esset prohibitum. Eodem ergo pacto SS. Patres, hic v. g. Nuptias sine Sacerdotis benedictione, [illegible] tunc servabantur, scortationes vocant; ibi puerorum Communionem [illegible] necessariam acerrimè prædicant; sine lectione Scripturarum [illegible] fidem, nullam salutem admittunt; atque ut propiùs ad rem veniamus, Ordinem totamque actionem pœnitentiæ (per plurimos etiam annos) sic ad remissionem peccatorum necessariam affirmare videntur; ut nulla sit sine omnibus istis cum Deo reconciliatio. Pauca dico è multis. Accedat tamen unum. Circa Imaginum cultum sic primis temporibus loquuntur aliqui, ut nefas sit absolutè eas habere ac colere; tum nimirùm cùm saltem Ecclesiæ variæ ob idololatriæ periculum iis utendum [illegible] putarent. Ita quod de S. Epiphanio narratur, item quod in Synodo Elibertana dicitur, intelligendum ego existimo. Eodem modo, sed è converso, in celebri Iconoclastarum quæstione, sic locuti sunt SS. circa Synodum 2. Nicænam, ut sine Imaginum cultù nulla esset aut esse posset Religio. Quis [illegible] videat ita locutos omnes ut modò dixi? Quid fieret aspexerunt, non quid [illegible] fieri posset. Sic igitur Leo I. de Ordine Pœnitentiæ, sic Aug. de [illegible] Dei Patri [illegible] sedentis locutus censeatur. Locutus est pro illius temporis [illegible] Augustinus: sed nonnisi rectè pro suis temporibus noster Hesselius. [illegible] ergò [illegible] culpamus citantem Augustinum: sed quòd dicta ab Augustino, pro temporibus quoque suis servanda inculcet longè latèque, ut è locis ejus citatis videri potest. Icones certe & statuæ longè Hesselio antiquiores indicant, etiam [illegible], hoc est, T[illegible]ini, viguisse in facie Ecclesiæ Cath. simulacra humana [illegible]

§ IV. At quid igitur? [illegible] nullane in posterum ex Antiquitate habebitur firmitas, ad probandum aliquid vel improbandum, quod apud eam probatum aut [illegible] legimus? Omninò: sed cum respectu ad sensum Ecclesiæ: cujus est per [illegible] Spiritum judicare, quo sensu, quo jure, Veteres aliquid [illegible] aut vetitum dixerint. Si sola alioqui consulatur Antiquitas, spretâ Ecclesiâ [illegible] sursùm deorsum verti oportet in Theologia. Multa apud Veteres [illegible], non intelliguntur: [illegible] etiam rectè intellecta, jam apud nos [illegible] non possent. [illegible] ab erroribus magnis semper manserunt & [illegible] immunes, qui Ecclesiæ sui temporis indivulsè adhæserint: quæ tam hodie [illegible] columna & firmamentum veritatis; cuique ideò rursùs nos nostraque [illegible] subjicimus. Custodi Domine in æternum hanc voluntatem.

Imprimatur cum cæteris.

Fr. M. HARNEY S. T. D. & P. L. C.